

- salvabuntur §), et alia pars eorum, qui iudicabuntur et per iudicium §) condempnabuntur, itemque pars una illorum, qui non iudicabuntur, sed cum Domino iudicabunt ¹⁾, et alia illorum qui non iudicabuntur, sed *sine lege peribunt*, quia legem non acceperunt et *sine lege peccaverunt* ²⁾ ideoque iam iudicati sunt, — ita fere accidit et nunc. Mulier una huius incendii flammis circumvallata et effugere non valens miserabiliter concremata est. Nostrę ^{h)} autem res partim concrematę sunt et non ipsi nos. Corpus autem et corporale dominicum nihil ab incendio pertulit. Turres autem, super quibus nobis erat molestia, quamvis nihil sentientes horribili spectaculo combustę sunt. In nobismet ipsis ergo, quorum res aliquę perierunt, locus autem salvatus est nobiscum, similitudinem illorum non ⁱ⁾ inutiliter advertimus, qui tunc iudicabuntur et per iudicium salvabuntur iuxta illud apostoli: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* ³⁾.
- 15 Eheu quam timui ne illud opus meum arderet, quod mihi in hac vita maior consolatio est, scilicet opus librorum quos elaboravi maximeque illorum, quorum adhuc extra locum istum exemplaria nusquam erant. Unum illorum erat opusculum, quod nuperrime conscripseram de glorificatione trinitatis et processione spiritus sancti novem tomis sive
- 20 libellis ⁴⁾, et pro hoc fere ita sollicitus eram sicut negotiator ceteris omnibus amissis et de omnibus desperans, saltem ^{k)} unam quam forte nuper emerat reservare cuperet margaritam ⁵⁾. — Porro in concrematione mulieris, quamquam de illa desperandum non sit ⁶⁾, nonnulla similitudo est eorum, qui iudicabuntur et per iudicium condempnabuntur,
- 25 id est damnationem, quam ista in corpore perpessa est, ipsi in corpore pariter et in anima perpetientur. In corpore atque corporali dominico, quod nihil ab incendio pertulit ⁷⁾, nonne aliqua similitudo est eorum, qui non iudicabuntur, sed cum Domino iudicabunt? In turribus vero, quę nihil sentientes combustę sunt, nonne aliqua similitudo est super-
- 30 borum, qui legem non habentes (ut supra dictum est) sine lege propter turritam superbiam suam peribunt? Potius enim hominum turribus quam ipsis qualibuscumque christianis hominibus similitudinem asscribimus ¹⁾ damnationis illorum, qui *sine lege peribunt*, quia *sine lege peccaverunt* ²⁾, et idcirco sine lege peribunt, presertim quia talium opera fuisse traduntur
- 35 hominum, qui *sine lege peccaverunt*, — gentiles enim fuerunt.

§) salvabuntur . . . iudicium fehlt J h) Nostae A i) non illorum M k) salutem (A, emendiert) M 1) ascribimus JM

¹⁾ Vgl. Matth. 19, 28 ²⁾ Rom. 2, 12 ³⁾ 1. Cor. 3, 15 ⁴⁾ Migne, PL. 169, 13—202 ⁵⁾ Vgl. Matth. 13, 45 f. ⁶⁾ s. o. c. 18 ⁷⁾ s. o. c. 3 und 5